

vitam cum morte mutauit. Vir frugi, nullis comeffationibus deditus, & quem principem non contempnas.

Numus hic ex alio latere refert victoriam alatum, dextra coronam lauream, sinistra verò globum, cui Crucis imago imposita, tenentem, eiusmodi addita inscriptione: **VICTORIA AVG.**
Infrà: **CONOB.**

EVDOCIAM concubinam filiam Inceris Michaël Basilio matrimonio iunxit, ex qua Leonem (qui potius Michaëlis credebatur, quippe cum Basilio Eudoxia nuberet, iam in vtero gerebat) Constantinum, Alexandrum & Stephanum, totidemque filias sustulit, quas omnes Monasterio Euphemia inclusit.



CAROLVS CALVVS Ludouici pii Imperatoris, ex Iuditha altera vxore filius, ac Ludouici I I. Imperator patruus, cum iam annis xxxvi. regnum occidentalis Franciæ tenuisset, ac cū Britonibus & Normannis vario Marte dimicasset, de morte Ludouici Imperatoris certior factus, omni mora abiecta, summa cum festinatione, Alpibus superatis, in Longobardiam contendit, vt hinc rectà Romam proficisceretur, pro corona Imperii in Franciam Cæsarum nomē allaturus. Postquàm verò Romā peruenit, à Ioanne Pontifice Corona Imperii donatus est, anno salutis **DCCCLXXVI.** Et mox in Sarracenos mouens, facilè conatus eorum repressit. Inde in Galliam reuersus, in itinere Bosonem, vxoris fratrem, regem Proinciæ proclamauit. Repetens verò Italiam, regna, quæ Lotharii iunioris erant, magno comparato exercitu, in ditionem Francici Imperii redigere cupiebat. Aduersus quem Ludouici germani filii profecti,
ad